

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2074

**Auteur(s) :** Eudes Clément, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Les Andelys, Notre-Dame (collégiale)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1245, 11 novembre

**Lieu d'émission :** Les Andelys

**Action juridique :** réforme

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Eudes Clément, archevêque de Rouen, réforme le chapitre de Notre-Dame d'Andely.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CLXXIV, p. 211-213.

Texte établi d'après a

In nomine Domini, amen.

O., miseratione divina, Rothomagensis archiepiscopus, omnibus presens scriptum inspecturis, salutem in Domino. Ad hoc summe omnium dispositor, rector et gubernator in sua domo, ecclesia videlicet mediante, ordinavit ecclesiarum prelatos ut errata dirigant, distorta corrigant, lapsa erigant, lassa sustentent et ea que stant ne cadant adjuvent et ut virtutum proficiant incrementis. Quod attendentes venerabiles patres et predecessores nostri bone memorie Mauricius et P[etrus], nunc, Dei gratia, episcopus Albanensis, ad reformationem ecclesie nostre de Andeliaco, quam deformatam omnino in spiritualibus et temporalibus invenimus et omni prorsus consilio et auxilio destitutam, sollicite intenderunt, sed altero morte prevento, reliquo pluribus et arduis negotiis occupato, remansit tam pium propositum inexpletum. Nos autem, qui eisdem licet immeriti successimus in onere et honore, nolentes, sicut nos debuimus, quod ulterius taliter fluctuat et foeteat ecclesia memorata, in ipsa ecclesia, tam super ejusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus statu, quam personarum ejusdem, inquisitionem fecimus diligentem, habitaque consideratione diligenti super his que per inquisitionem invenimus, taliter de statu ecclesie ac personarum duximus ordinandum.

Statuimus et precepimus futuris temporibus observari, ut in ecclesia nostra beate Marie de Andeliaco per archiepiscopum Rothomagensem unus instituatur decanus, qui post archiepiscopum, tam canonicorum quam vicariorum et clericorum omnium ejusdem ecclesie et parochie, nec non et totius parochie curam habeat animarum, et qui sit vel sine mora fiat presbiter, et teneatur in eadem ecclesia ad residentiam personalem et ad synodus Rothomagensem venire, cuius sustentationi deputamus unam de majoribus prebendis ipsius ecclesie primitive vacaturam.

De duabus vero prebendis majoribus que adhuc sunt integre, ut in eadem ecclesia cultum augmentemus divinum, ordinamus ut, cum vacaverint, dividantur in quatuor, ut Rothomagensis archiepiscopus eas vel successive vel simul conferat quatuor honestis personis ; alia que jam est divisa sic nihilominus remaneat personis conferenda duabus. Horum autem sex canonicorum de novo instituendorum, unum volumus ad sacerdotii, duos ad diaconatus, et tres ad subdiaconatus teneri ordines, et nihilominus ad residentiam personalem.

Quatuor vero vicarios cum residentia personali et sacerdotio sicut sunt dimittimus ; ita tamen quod teneantur in ecclesia vel in parochia ubi archiepiscopus voluerit residere, et quod jurent predicta, quas per archiepiscopos Rothomagenses conferri volumus cum quatuor majorum prebendarum status jam sint mutati, quarum quilibet canonicus unum conferebat de ipsis et nec per vicarios, sed in personis propriis, sit de cetero eidem ecclesie deserviendum.

Sacrista per decanum, decedentibus canonicis qui nunc vivunt, et eis viventibus per decanum et canonicos, conferatur ; et teneatur sacrista jacere in vestiario et residere et custodire thesauros et ornamenta et alia, et hec firmare proprio juramento.

De octo minoribus prebendis taliter ordinamus, ut cum usque nunc eidem ecclesie inutiles fuerint, ut pote nimis exiles, et decanatui aliquid addicere sit honestum, ad majorem prebendam eidem superius deputatam decem libras turonenses de earum proventibus decanatui deputamus, reliquum vero quod superfuerit duobus clericis deputetur, nobis vel successoribus nostris per decanos, qui pro tempore fuerint, presentandis, quorum alter erit diaconus et alter subdiaconus et uterque ad residentiam tenebitur, et hoc etiam firmabunt proprio juramento.

Redditus vero communie sive quotidianis distributionibus deputati per decanum, cum consilio sui capituli, administrentur et distribuantur per tempora et personas, prout ipsius ecclesie servitio melius videbitur expedire.

Acta sunt et ordinata predicta a nobis, predicto archiepiscopo, et publice recitata apud Andeliacum, in domo nostra, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, in festo beati Martini hyemalis ; presentibus : magistris Richardo de Sancto Laurentio ; Richardo de Salemonville ; Roberto de Arnulfo, canonicis ejusdem ecclesie, et quatuor vicariis et pluribus de minoribus ipsius ecclesie canonicis. Que omnia, ut superius continentur, decano et canonicis sepe fate ecclesie nostro sigillo tradidimus sigillata.

Et ex eadem charta sigillum in cera viridis coloris in dupli cauda dependet.